



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II

*EPISTULA DATA*

*MIGUEL S.R.E. CARDINALI OBANDO BRAVO,  
EPISCOPO ZACAPENSIS ET DE ESQUIPUTAS*

Clara profecto sacra signa et innumera quidem ubique terrarum extare servarique omnes sat sciunt, quae christianam religionem fideliumque pietatem ostendere volunt. Id vero genus inter praestantes testificationes veneratum recensetur Christi Sancti de Esquipulas simulacrum, intra Guatimalae fines situm. Ad illud enim frequentes complurium Nationum cives fidenter decurrunt caelestia beneficia postulaturi supernaque dona deprecaturi.

Congruenti harum imaginum cultu et honore cupimus Nos fidelium animi ut confirmentur, novo inde suscepto vigore et in christianam actionem studio. Quocirca libentes et volentes Venerabilis Fratris Rodulfi Quezada Toruño, Episcopi Zacapensis et de Esquipulas, postulatis obsecundare cupimus, qui insignem a Nobis Missum poposcit ut quartae Sanctuarii Christi Sancti saeculari memoriae sollemniter agendae interesset.

Itaque ut celebratio haec festivius et convenientius peragatur, mittere virum eminentem statuimus, qui partes Nostras sustineat nostramque pariter benignam mentem ostendat. Ad te autem, Venerabilis Frater Noster, cogitationem nostram admovimus et animum, qui, ad eandem loquela cum pertineas noverisque probe illius sanctuarium momentum et dignitatem, videris prorsus par acceptusque ad officium hoc tuendum et congruenter explendum.

Quapropter te Missum Extraordinarium constituimus, ut, frequenti occurrente illa commemoratione, mense autem Martio die ix, ipsam vocem nostram signifies, unde penitus agnito illius sacrae effigiei sensu et praestantia, non modo cuncti illud insigne simulacrum admirantur, verum et novum animum suscipient ad operosam industriam excolendam.

Palam demum benevolentiam nostram declarabis et sollicitudinem, dum preces pariter fundimus

ut Christi paeconium late proferatur et gentes illas, quae circa sunt, magis magisque complectatur. Salutationem tandem fervidam omnibus porrugas et Benedictionem Nostram Apostolicam universis simul huius eventus participibus nomine Nostro Nostraque auctoritate largiaris velimus, quae sit divinarum gratiarum nuntia et felicioris aevi signum.

*Ex Aedibus Vaticanis, die XVI mensis Februarii anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

**IOANNES PAULUS PP. II**

© Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana